Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



106 112

intulit stipendia meritorum: ita nobis ablato uetustatis errore resurrectionis lucem gratam largiatur.

Fratres Conuenientibus uobis Ad Corinthios in unum: iam non est dominicam cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam prumit ad manducandum: et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum aut ecclesiam dei contemnitis: et confunditis eos qui non habent. Quid dicam uobis? Laudo uos in hoc non laudo. Ego enim accepi a domino quod et tradidi uobis: quoniam dominus iesus in qua nocte tradebatur: accepit panem et gratias agens fregit et dixit. Accipite et manducate hoc est corpus meum: quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiens cumque bibetis in meam commemorationem. Quotiens cumque enim manducabitis panem hunc: et calicem bibetis: mortem domini annunciabitis donec ueniat. Itaque quicumque manducauerit panem: uel biberit calicem domini indigne: reus erit corporis et sanguinis domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat: et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne: iudicium sibi manducat et bibit non dinudicans corpus domini. Ideo inter uos multi infirmi et infirmes: et dormiunt multi. Quod si nos metipsos diiudicaremus: non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem a domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur. Gr. Factus est pro nobis obediens usque ad mortem mortem autem crucis. V. Propter quod deus exaltauit illum et dedit illi nomen quod